DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE Affectibus Motibusque Convulsivis QUI Ratione atque sensibus salvis contingunt.

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. GERARDI NOODT, Jurisconsulti,
& in Academiâ Lugduno-Batavâ
Antecessoris Ordinarii;
NEC NON
Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritê, ac legitimè consequendis,
Publico examini subjicit

JOHANNES LUDOVICUS ENGEL,
Tubingâ Wirtembergicus.

A. D. 30. Septemb. horâ locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCVIII.

DEO,

PATRIÆ,

PARENTI,

PATRONIS

atque

AMICIS.



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

Affectibus Motibusque Convulsivis.

PRÆFATIO.



Absoluto per Dei Gratiam Studii Medici Amplissimo Stadio, cum pro obtinendis legitimè Honoribus Doctoralibus Actui Doctoratus Solenni Inauguralis, ut vocant, Disputatio esset præmittenda habendaque, deliberandum mihi diu haud fuit, ex qua saluberrimæ Artis parte materiem disputandi seligerem;

rem; cum enim binis jam abhinc annis in eo fuerim totus, ut in Florentissima Universitate Patriâ, Almâ Eberhardinâ, solide praxeos ponerem fundamenta, eumque in finem frequentissimos Casus, ut loquimur, speciales attentè pensitaverim, cum præterea ad aggrediendam, finito feliciter, quod Deus faxit, itinere, Praxin proximoque serviendum sim accinctus, non potui aliam quam Practicam eligere disputandi materiam. Cùm verò optâssem ut prolixius eandem pleniusque deducere licuisset; at brevitate temporis aliud jubente, Theses potius succinctas, quam prolixiorem earundem confirmationem exhibere sum coactus, quanquam haud dubitem, ne sic quidem defuturam opponendi materiam; cùm ita comparatum sit in Medicina, ut nihil ferè adeò certum sit, quin venire in controversiam, & ventilari utramque in partem soleat. En igitur, Lector, Theses levidenses de re arduâ, easque boni consule. Adsit cœptis DEUS Opt. Max.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Phænomena, Affectumque ipsum & remedia breviter complectitur.

Infinita eſt Affectuum Spaſmodicorum varietas, cum toto die novas Symptomatum convulſivorum circumſtantias in Praxi obvias liceat deprehendere; Non igitur animus eſt de iis in univerſum omnibus agere nec ſingulas iſtas ſcrutari differentias, quin potius quicquid hîc dicendum ſtatuendumque eſt, id omne dirigam ad ſcopum præfixum, cum, vel titulo diſputationis teſtante, agendum ſit de iis convulſionum ſpeciebus, quæ contingunt in Machina humana ratione & ſenſibus ſalvis. Sunt verò ii Motus Spaſmodici haud adeò frequentes; Nec enim latere quemquam facilè poteſt, qui Epilepſia correptos, aliiſve ſpaſmodicis motibus agitatos, aut internis convulſionibus obrutos fuerit contemplatus, non rationem tantum iis in caſibus, vel ejus potius exercitium extingui, ſed & ſenſus internos, externoſque ferè ordinariò à muneribus ſuis ceſſare, nec quidquam percipere, neque ad voluntatis arbitrium partes moveri. Haud negandum tamen, dari motus convulſivos cum quibus ratio ſenſuſque poſſint conſiſtere, & manere ſalvi, quodque admiratione dignum exiſtimo, poſſe functiones illas eſſe ſuperſtites, motibus ſpaſmodicis non partes tantum corporis extimas occupantibus, ſed & iiſdem in ipſa animæ ſede, capite ſcilicet ſævientibus, ſuaſque conſtrictiones exercentibus; Deprehendet id nullo negotio, paſſimque in au-

ctoribus exempla notabit, quisquis eo animo Medicorum monumenta evolverit; quæ quidem hic speciatim allegare, atque colligere Authorum testimonia, instituti ratio, & paginarum angustia haud patitur, eritque instar omnium opus illud vastum utilissimumque, Ephemerides puta elegantissimæ Naturæ Curiosorum, quas quidem evolvendo non pauca, quæ egregiè huc faciant animadvertes. Nec desunt etiam Casus abs me observati, mihique notissimi, breviter hîc tangendi; Ne autem multa dicam de Juvene, qui, dum convulsiones totum corpus ipsumque caput misere quatiebant allidebantque, & fundere preces & consolationes adstantium percipere poterat; neque de Puella tredecim annorum, quæ probè sibi conscia, sensibusque omnibus utens diras, violentasque artuum convulsiones diu multumque perpessa est; adducam saltem puellæ Exemplum, ex habito in Charissima Patria Collegio Casuali memoriæ recentissimè impressum; Ea octennis & toto vitæ decursu ad iracundiam prona, cum exaruisset fèrè penitus & subitò scabies capitis, quâ cum erat diu conflictata, ex improvisò dum preces recitaret, varias oris in omnes partes distorsiones, easque & violentas, & prorsus involuntarias perpessa est, qui quidem paroxysmus crebrius eadem die invadebat, atque incrementa subinde capiebat; adeò ut sequenti die paroxysmus, qui primum vix per integrum horæ quadrantem duraverat, tribus horis continuis miseram puellam affligeret, variis oris, partiumque faciei distorsionibus accedentibus, eos tamen intra terminos sese continuit affectus, ut solum caput convelleret ejusque partes torqueret, reliquis partibus liberis manentibus, nisi quod inter dormiendum

cre-

crebro artus concuterentur, raperenturque hinc & inde; Memorabile est quod in ipso paroxysmo pedibus insisteret non solum, sed & mente sibi constante conscia esset omnium quæ cum ab aliis, tum in ipso suo capite agerentur, sensibusque integris uteretur, adeò ut pudore ob inconcinnas violentasque labiorum tractiones, & deformatam faciem suffusa in paroxysmo sese occultaret, fugeretque hominum conspectum, adeò fortiter anima istis spasmis resistere, suisque tamen organis uti potuit. Post poroxysmum hunc diu durantem vomuit ægra, cætera benè habens, ὀρθοστάδην, nisi quod & calor præter naturalis, sitisque aliqua, & levior Cephalalgia cum tussicula supervenerit.

Iste igitur affectus convulsivus ut omni studio impugnaretur, non tantum in brachiis excitatæ sunt vesicæ grandiores mediante ordinario ex Cantharidibus Emplastro Vesicatorio, sed & trihorio quovis pulveris sequentis scrupulus fuit exhibitus in vehiculo pariter hîc adjuncto:

℞. Pulv. Epileptic. Mirabil. Mynf. ℈ij.
Marchion.
Pannonic. rubr. ana ℈j. gr. viij.
Succin. alb. ppt. gr. xxvj.
Visc. quen. ʒß.
Sem. pœon. ℈j.
Corn. Cerv. phil. calc. ʒjß.
Cinnab. nativ. ppt. ℈ß.
M. f. pulv. d.

℞. Aq. pœon.
Fl. tiliæ.

Scor-

Scorzoner. ana ℥iij.
Syr. pœon.
Rub. id. ana ʒv.
M. d.

Aſſumebat intermedio tempore puella ſequentes pilulas, ita ut biduo omnes deglutierit.

℞. Extr. Bezoard.
Caſſ. tub. ana gr. viij.
Rut. gr. iv.
Pœon. gr. ij.
M. f. pil. xvj. d.

Die ab acceſſu morbi quartâ exhibebatur ſequens pulveris laxantis doſis:

℞. Spec. Jalapp. Mynſ. gr. xiij.
Rad. Jalapp. gr. v.
Cinnab. nat. ppt. gr. iiij.
M. ſ. pulv. d.

Frequenter unà abdomen & dorſi ſpina Oleo iſthoc inuncta fuit:

℞. Ol. rut.
Menth. ana ℥iij.
Chamomill. ℥ß.
Rut. d. gr. iij.
Balſ. Peruvian. ℈j.
M. d.

Ceſſabant jam paroxyſmi ſpaſmodici affulgente ſanitatis ſpe meliore, redeunte jam naturali ciborum appe-

appetitu, reliquâ saltem molesta tussi, cui quidem & metuendæ adhuc affectus recidivæ ea sunt opposita, quæ hîc subjunguntur remedia, idque eò diligentius, cum ipsa pulveris laxantis operatio excretaque de præsentia sobolis verminosæ admonerent:

℞. Spec. diair. simpl. ℥j.
diatragac. fr. ℈j.
Corn. Cerv. ust. ppt. ℈v.
Cinnab. nat. ppt. gr. xv.
M. F. pulv. d.

℞. Extr. papav. erratic.
Absynth.
Centaur. min.
Rut. ana gr. iv.
Pœon.
Bezoard. Cam. ana gr. viij.
M. F. pil. n. xxviij. d. dos. quotid. 7.

℞. Looh san. & expert.
Diacod. liquid. ana ℥vj.
Syr. jujubin. ℥x.
violar. ℥vj.
M. d.

Quibus quidem remediis brevissimo tempore id, Divina Gratia annuente, effectum est, ut nec redierit affectus convulsivus, nec hactenus vel ejus vel reliquorum symptomatum ullum sese vestigium ostenderit.

CAPUT ALTERUM

Phænomenorum rationes cauſaſque deducit.

In allegandis nunc genuinis eorum, quæ recenſita ſunt modò, cauſis inquirendum ante omnia eſſet, qua ratione motus convulſivi in genere contingant in Machina corporis noſtri admiranda, quod non alia ratione rectius poteſt determinari, quàm cognitâ perſpectaque, intimius motûs muſculorum naturalis cauſâ, modôque quo perfici is ſolet in corpore ſano, ſed hac ratione novis me controverſiis immergerem, de Natura atque indole ſpirituum animalium, ut enim taceam eos qui ob eaſdem controverſias & difficultates maluerunt ipſam eorum exiſtentiam vocare in dubium, notum eſt in vulgus, eos nunc igneos lucidoſque, nunc ex particulis omnis generis ſubtiliſſimis compoſitos, nunc Elaſticos & Aëreos dici, quas ego lites hac quidem vice meas haud facio, nec diſputo an Elatere ſuo (quod probabilius reddit analogum veſicæ inflatæ ponduſque appenſum attolentis experimentum) an exploſione quadam ab aliis adductâ muſculos moveant. Hoc tamen fundamenti loco aſſumendum eſt, inflari à ſpiritibus fibras motrices, quacunque demum id ratione quâve eorundem conformatione & ſtructura fiat, eorum veſiculas inflari ſuâque turgeſcentia fibrarum muſculique brevitatem, ſicque annexæ partis motum efficere; quod cum in ſtatu naturali æquabiliter, blandè, & ad voluntatis arbitrium contingat, in motibus convulſivis non eâ tantum invita atque nolente, ſed & violentius quàm par eſt, atque confuſius ſolet evenire, ita ut ſpiritus jam

in

in se robustiores & ferociores irritatione facta cum impetu in canaliculos fibrarum irruant confusosque & impetuosos quantumvis refragante anima motus musculis abbreviatis constrictisque producant. Hoc adeò planum compertumque est, ut quivis id mihi quam lubentissimè sit concessurus, tanquam à plerisque assumtum & extra controversiam positum; verum id plus difficultatis habet, qua ratione contingat, ut cum ordinariò ferè in Epilepsia, aliisque spasmodicis motibus rationis usus sensusque cessent, dentur tamen casus, sintque tales allegati, in quibus non ratio tantùm, sed & sensus fuerint superstites; Hoc enim rationi longè aptius magisque congruum videtur, debere eas functiones cessare, si pensitaverit, in Epilepsia affinibusque affectibus spiritus animales, sensûs motûsque unicum organum animæque instrumentum adeò turbari, confundi, moveri inordinatè, fluctuare, denique eccentricos esse, & nonnunquam quasi furibundos; nervorum verò fibrillas irritari, stringi, premi, obstruique passim. Sed hoc conceptu valdè est difficile, quî cum istis turbis, motibusque usus rationis, & sensuum aliquis vigor possit consistere; &, si vel maximè hoc contingeret spasmis externas, remotasque à Capite partes occupantibus, (quamvis ne sic quidem sine capitis & communis sensorii commercio atque consensu, novisque inde submissis copiis id queat evenire) id saltem arduum determinatu est, quî ipsa animæ arce, spirituumque promptuario, Capite turbato, & motibus convulsivis illud occupantibus hæc superesse in ægro possint? Meum non est problematis istius solutionem adgredi, optarem potius ut Medici, quos passim veneramur, Excellentissimi in id inquirant diligentius; si quid tamen dicendum videatur, hæc duo tantùm addere sum ausus; 1. Eos

generari vero similius sit, in cruditatibus illis exclusi) & inter causas allegari tamen posse, imò debere, nolim tamen allegatam superius causam ideò rejicere, cum stare unà haud ægrè possint, juncta igitur fuit vermibus acrimonia, conjunctisque viribus nervos impugnarunt; vermes ex remoto longius loco, satis tamen ob mirabilem neque unquam satis explicatum consensum propinqui, acrimonia verò stagnantis ichoris, acriumque humorum in ipso capite hærens & domestica.

Difficile nunc non est tussis supervenientis reddere rationem, postquam eandem & vermibus per consensum, & acrimoniæ sanguinis immediatè nervos fibrasque arteriæ asperæ & pectoris irritantibus atque vellicantibus adscribere; atque ex eodem fundamento Cæphalalgiam nullo negotio licet deducere. Vomitum verò paroxysmum adeò diuturnum fuisse subsecutum adeò non est mirum, ut potius causa vel obiter rem consideranti sua se sponte offerat; poterant enim vermes ventriculi fibrillas rodere atque in istas, quæ contingunt in vomitu spasmodicas constrictiones, quasi cogere; Nec penitus aberravero si existimem hanc ventriculi convulsionem, quid enim aliud est vomitus? derivandam esse à turbis in capite excitatis & per consensum sæpius allegatum fibris ventriculi motricibus communicatis; quam promtè enim quamque frequenter in diversis corporis affectibus in consensum ventriculus rapiatur dici non potest.

Nemo autem, opinor, est qui requirat ut operosè demonstrare satagam remedia abs me allegata congrua hoc in affectu, atque secundum methodum medendi legitimam fuisse exhibita, loquitur enim res ipsa, nec fortiora sunt argumenta, quàm cita, tutaque ægræ restitutio, restitutæque per plures jam men-

menſes perpetuus vigor; quod quidem argumenti genus (haud equidem ſemper ſufficiens) hoc in caſu eò firmius & plane inconcuſſum eſt, quod ratione non minus ea methodus eaque remedia quam ſucceſſu comprobentur. Quid enim exhiberi hîc rectius, quid applicari utilius poterat, quam Antiſpaſmodica, Nervina, Anthelmintica, Abſorbentia, temperantia, pectoralia, papaveracea, anodina, roborantia, bezoardica; quibus quidem ex claſſibus medicamentorum deprompta ſunt illa, quorum inſerui formulas; His enim compeſcuntur ferocientes Spiritus, nimius eorundem Elater deprimitur nonnihil, redeunt eorum copiæ in ordinem, pacatoque & blando reſtituuntur motui atque undulationi; ſanguinis acrimonia obtunditur, ſpiculaque ſalium in abſorbentium poris commodè occultantur; excretio ichoris in capite ſtagnantis promovetur, tuſſis vehementia compeſcitur, calor æſtuſque maſſæ ſanguineæ temperatur, vermiumque propago excernitur, quæ quidem omnia eventus luculenter comprobavit.

Dubitandum verò non eſt egregiè ſuum contuliſſe ſymbolum Veſicas à Cantharidibus in Emplaſtrum coactis excitatas, quum præſentiſſimam iſtius remedii opem in affectibus ſpaſmodicis nemo ſatis queat deprædicare; qua id ratione efficiant hoc quidem loco determinare prolixius foret ſuperfluum, cum in confeſſo ſit illâ viâ & humores acres ſpiculiſque ſalinis admodùm tinctos excerni, & ſpiritus potenter revocari in ordinem, & in ſuam quaſi ſphæram nova hac fortique irritatione accedente redire, leniuſque undulare.

Quid verò de purgante medicamento dicam? Certum eſt in affectibus ſpaſmodicis purgantia haud temerè exhibenda eſſe, quum operationem ſuam haud valeant exerere ſine excitatione haud levium in corpore

pore turbarum; dum & irritant fibras, & fundunt humores, verum aliter ſe res cum laxantibus habet, quæ tutius longè exhiberi poſſunt, & agant lenius, nec extra primas vias ſuam activitatem extendant, quibus accedit & integras fuiſſe vires, & ſpaſmos particulares. Illiuſque, neceſſitatem abundè effectus comprobavit, excreta non cruditate tantum copioſa & humoribus corruptis primas vias occupantibus, ſed & unà cum iſthoc ſuo nido vermium ſobole & rudimentis feliciter excluſis, quæ quantas adhuc turbas potuiſſent excitare ii judicent, qui nôrunt, quam atrocia ſymptomata, quam diuturni & violenti ſpaſmi à vermibus haud rarò proveniant.

Indicta verò non abibunt Olea Balſamica, quibus inunctum ſedulò fuiſſe puellæ corpuſculum ſupra memoravi, poſſent hæc talia contemni ab iis qui rem haud intelligunt tanquam externa, nec ad morbi ſedem penetrantia, verùm ii eximiam agnoſcunt eorundem utilitatem, quibus innotuit, quantum nuchæ ſpinæque dorſi inunctio valeat in affectibus generis nervoſi, etiamſi morbus has partes non occupet, quemadmodum enim nervorum irritationes per conſenſum remotis ſæpè partibus communicatur, ita nihil obſtat quo minus eandem efficaciam remediis externis adſcribamus, ea ſcil. per conſenſum remotos etiam conſolari nervos, ſi maximè ſint activa & penetrantia, quod tum Oleis iſtis coctis, tum deſtillato Rutæ Oleo, tum & Peruviano Balſamo competere aſſerere haud dubito. Nunc verò manum de Tabulâ!

Deo Immortali ſint æternæ Laudes pro Immenſa in me Gratia, Ejus inexhauſta Bonitas nunquam me deſerat; ſed ſecundet clementiſſimè cœpta mea, Praxinque Medicam, quò vergant in Nominis ſui Sanctiſſimi Gloriam, Proximique & Animæ meæ ſalutem.

F I N I S.